

enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia. Plus certe diligere debemus, quos perpetuo nobiscum putamus futuros, quam quos in hoc saeculo tantum. Illi degeneres nascuntur frequenter, qui dedeçant patrem: vos autem elegimus, ut diligamus. Itaque illi necessitate diliguntur, quae non satis idonea atque diuturna est ad perpetuitatem diligendi magistra: vos iudicio, quo magnum charitatis pondus ad vim diligendi adjungitur, probare quos diligas, et diligere quos elegeris.

QUOD NOMEN OFFICII, NON SOLUM PHILOSOPHIS, SED
ETIAM NOSTRIS USITATUM SIT.

Ergo quoniam personae conveniunt, videamus utrum res ipsa conveniat scribere de Officiis: et utrum hoc nomen philosophorum tantum modo scholae aptum sit, an etiam in scripturis reperiatur divinis? Pulchre itaque dum legimus hodie evangelium (quasi adhortaretur ad scribendum) Spiritus sanctus obtulit nobis lectionem, qua confirmaremur etiam in nobis Officium dici posse. Nam cum Zacharias sacerdos obmutisset in templo, et loqui non posset, factum est, inquit, ut impleti sunt dies Officii ejus, abiit in domum suam. Legimus igitur Officium dici a nobis posse. Nec ratio ipsa abhorret, quandoquidem Officium ab efficiendo dictum putamus, quasi efficium: sed propter decorem sermonis una immutata littera, officium nuncupari: vel certe, ut ea agas, quae nulli officiant, prosint omnibus.

OFFICII DIVISIO, ET HONESTUM ATQUE UTILE UNDE
METIANTUR CHRISTIANI.

Officia autem ab honesto et utili duci existimaverunt, et de iis duobus eligere quid praestet: deinde incidere, ut duo concurrant honesta, et duo utilia: et quaeratur quid honestius, et quid utilius. Primum igitur in tres partes